

D I S S E R T A T I O
INAUGURALIS MEDICO PRACTICA
D E
TUSSI CONVULSIVA,
quam
Consensu et Auctoritate
EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI
DOMINI
PRAESIDIS AC DIRECTORIS,
PERILLUSTRIS ET SPECTABILIS DOMINI DECANI,
nec non
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM
pro
RITE CONSEQUENDA
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA
IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA
UNIVERSITATE VINDOBONENSI
publicae eruditorum disquisitioni submittit

Franciscus Xav. Gross,
Hungarus Pesthiensis.

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus
die 14. Mensis Novembris 1830.

VINDOBONAE,
TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

Patri Optimo



gratissimus filius.

Tussis convulsiva s. spasmodica, Pertussis, tussis ferina, bronchitis epidemica sec. Marcus (Reuchhusten, Stichhusten, Eselshusten Germ., Fúlasztó hurút Hung., Coqueluche Gallor., Hoopingcough Anglor.) est morbus sui generis infantes praecipue (licet in nonnullis epidemiis et adultos indiscriminatim adgressus fuerit) infestans; qui se per tussim spasticam cum metu suffocationis coniunctam monstrat; cuius insultus cum protracta inspiratione quo sonus ruditui asinino similis editur, oriuntur; quam plures breves sed ininterruptae aëris expulsiones ad perfectam usque expirationem sequuntur; duratio horum insultuum inconstans plerumque brevis, et non raro vomitu terminandis.

Quod antiquitatem huius morbi attinet dissentiunt auctores: utpote aliis iam Hippocrati notus fuisse videtur nonnullisque huius operibus locis indigitari; a) praecipue eo suffulti argumento, quod medicorum una-

a) Epid. lib. VI., sect. 7. et lib. VII. — Aphor. sect. VI. Aph. 46.

nimi consensu praecipua huius morbi causa in aëris atmosphaerici peculiari constitutione radicata sit; hinc sufficiens ratio non est, cur hanc aëris atmosphaerici mutationem circa finem saec. 14. originem duxisse adversarii asserant; causa autem cur Pater Medicinae huncce morbum solita sua exactitudine non descripserit, forte in eo latere videtur, quod eum ad tribum reliquarum tussium coniecit, praesertim cum in climate Graeciae amoeniore ad epidemiarum graviorum dignitatem vix evectus fuisse videtur.

Secundum alios cuius opinionis praecipue *Rosenstein* et secundum illum *Matthäi*, morbus hicce novioris originis esse, atque ex Africa aut India orientali ad nos delatus fuisse videtur. — Maxima cum probabilitate et secundum plurimorum medicorum opinionem primo anno 1414. observatus fuit, quo in Gallia epidemice grassabatur, atque nomine Coqueluche veniebat, novusque dicebatur morbus. Neque anginam membranaeam hunc fuisse cel. *Sprengel* contra *Wichmannum* demonstravit a).

Quod has auctorum dissensiones de antiquitate huius morbi attinet, certe nemo non videt, qui easdem absque praeoccupata opinione scrutatur; easdem omnino conciliari

a) *Sprengel's* Geschichte d. Med. Th. 2, S. 663. Th. 3, S. 103.

posse; nam quod primam opinionem attinet haec possibilitatem eius existentiae iam antiquissimis temporibus sat luculenter demonstrat; cum eadem causa sub iisdem circumstantiis eundem producit effectum; neque rationi et experientiae absonum easdem aëris mutationes, quae modo tussim convulsivam producant et olim exstitisse, hinc neque possibilitas illius existentiae sufficienti ratione negari potest. Sed deficiunt nos data litteraria et exactae descriptiones, quas primum a fine saec. 14. habemus; et sub hocce respectu auctores alterius opinionis, mea saltem opinione morbum huncce pro novo habent; utpote qui inde primum inter descriptiones morborum occurrit, nominibusque variis exornatur, scientiae nostrae, non Naturae novus.

Diagnostica.

Tria huius morbi stadia, a prima fere eius observatione statuuntur, utpote: stadium catarrhale, stadium convulsivum, et stadium decrementi. Nequaquam tamen exactis adeo limitibus distincta observantur a se invicem haec stadia; utpote quorum unum in aliud imperceptibili fere modo transit; in primis tamen stadiis exaltata manifeste irritabilitas et sensibilitas praevalet.

Stadium catarrhale, cuius duratio a duabus usque quatuor et ultra septimanis non raro excurrit, licet a nonnullis tribus quatuorve solummodo diebus durasse, a nonnullis plane absens fuisse asseratur; sequentibus se se manifestat sytomatibus: levi morositate, et prostratione virium praesente, nonnunquam vix observanda comparet tussis, consvetae catarrhali parum absimilis; nisi siccitate sonoque altiore et acutiore observatori suspecta; tussis haecce iam saepius, iam rarius recurrit, atque vesperi, praecipue circa mezonochium vehementiores cele-

brat insultus, et dum et quando typum fere intermittentem sequitur; plerumque et reliqua symptomata catarrhalia observantur, utpote: sensilitas oculorum erga lucem, illachrymatio eorumdem, profluvium mucii tenuis et aquosi e naribus; mox comparet febris iam levior iam gravior, vesperi exacerbationes suas celebrans; sudore plerumque in capite et pectore praecipue terminandis, dum et quando typum intermittentem iam quotidianum iam tertianum sequitur; hisce breviori longiorive tempore cum symptomatum, praecipue tussis continuo augmento perstantibus tandem modo suo peculiari comparet stadium alterum s. convulsivum.

Stadium hocce, cuius essentialia inspiratio protracta, sonans, ruditui asinino similis, quam plures breves et ininterruptae sequuntur expirationes; vomitu et eiectione materiei mucosae terminandis; sequentibus manifestatur symptomatibus: antequam insultus ingreditur varia percipiuntur ab aegris prodroma, utpote: oppressio pectoris, sensus titillationis et compressionis in larynge, aspera arteria, scrobiculo cordis, sensus fornicationis in fronte, cephalaea, vertigo, anxietas magna, quo infantes vicina obiecta fixa arripiunt, inclinant pectus, adpodiant caput; ut nempe vehementiae insultus aliquomodo succurrant, conanturque eundem

supprimere pro tempore ; sequitur modo superius descripta in et exspiratio ; quae saepius usque finem insultus repetuntur. Sub insultu tali tremunt, atque convelluntur musculi totius corporis, turget, livetque facies, tument venae, protruduntur oculi illacrymantur, coniunctiva sanguine suffunditur, frigent extremitates, pulsus suppressus, contractus, v. et intermittens tangitur, cutis sudore frigido madet, urina et faeces involuntarie evacuantur, et dum et quando sanguis per os et nares stillat ; tandem paroxysmus cum eiectione muci tenacis per os et nares nec non saepe vomitu cum alleviatione aegri ; terminatur.

Ab initio huius stadii, insultibus rarius comparentibus infantes intermedio tempore satis bene se habent ; serius tamen insultibus vehementia et numero increscentibus, intermedio quoque tempore debiles, pallidi atque morosi sunt, noctesque inquiete transigunt. Insultus hi alternis plerumque diebus vehementiores sunt ; atque post partum, et de nocte saepius vexant aegros, absque causa excitante manifesta comparent ; facile tamen per errorem diaeteticum, refrigerium, cursitationem, risum, fletum, clamorem et similia provocantur. Duratio huius stadii varia a duabus usque duodecim septimanis, atque praecipue in aegris debilioribus, varia

producit mala secundaria, sic et insultibus vehementioribus et saepius comparentibus febris provacatur.

Stadium decrementi. Successive stadium convulsivum in hocce transit, insultibus vehementia et numero recedentibus qui modo plerumque solum noctu et post pastum vel vehementiorem corporis motum comparent; tussis adhuc sonora sed concussionibus corporis et congestionibus ad caput mitiores, respiratio evadit liberior, sputa quae prius tenacia et alba cernebantur magis globosa, coactaque visuntur, absque magno nisu aegri, et cum levamine eiiciuntur, cutis sudore amoenno madet, redit appetitus, alvi evacuationes fiunt normales, vires pedetentim restaurantur, et spatio trium quatuorve septimanarum observato debito regimine diaetetico perfecta ad est convalescentia.

Tria haecce stadia cel. Desruelles a), in suo tractatu de tussi convulsiva gallice edito non assumit; novae nempe illius theoriae de sede et natura tussis convulsivae, (infra uberius exponendae) convenienter; primum symptomata Bronchitidis et variae illius modificationis exponit; quae cum symptomatibus stadii catarrhalis superius expositis maxima

a) *Traité de la Coqueluche d'après les Principes de la Doctrine physiologique.*

parte consentiunt; nisi quod ea quae tussim convulsivam antecedunt, et quae ille bronchitidis cum irritatione sympathica encephali dicit mea saltem opinione intensioris gradus delineet; hisce quatuor vel octo diebus incrementibus, insultus convulsivus comparet quo symptomata superius recensita continua esse cessant, et irritatio encephali characteris intermittens fit; ceterum symptomata prorsus eadem assignantur, quae superius in stadio convulsivo descripta sunt; hinc revera alio solum ordine novitatem et simplicitatem maiorem mentitur, neque essentialem utilitatem praestat; sub variis enim epidemiis, character inflammatorius iam magis, iam minus in primo stadio comparet, quo modificatio symptomatum explicari potest; insultus convulsivus prorsus cum stadio secundo convenit; et stadium tertium alioquin nemo pro tussis convulsivae peculiari habebit, cum illud omnibus morbis proprium sit; et in universa rerum natura radicetur.

Differentia ab Angina membranacea.

Stadium catarrhale in tussi convulsiva octo, quatuordecim et ultra saepe diebus durat; in angina membranacea uno ad summum tribus quatuorve diebus.

Sonus quem tussis edit, latratui canis

iunioris, vel galli glorientis est, vox et loquelauca stridens, in tussi convulsiva, ut exsuperius dictis patet, haec aliter se habent.

In angina membranacea in secundo stadio febris inflammatoria intensioris saepe gradus comparent; in tussi convulsiva in altero stadio febris saepissime nulla.

In tussi convulsiva aegri varios superius descriptos percipiunt prodromos, manifesta observatur periodicitas in insultibus, saepissimeque de nocte exacerbantur; in angina membranacea aegri ante tussim nullos percipiunt prodromos, et iam frequentius iam rarius absque diei noctisque discrimine tussunt. In tussi convulsiva post protractam inspirationem quo sonus ruditui asinino similis editur; exspiratio pluribus et ininterruptis perficitur aëris expulsionibus, quae in angina membranacea singulis et separatis vicibus fiunt.

In angina membranacea aegri lympham coagulata, leviores aut firmiores concreciones, membranasque exspuunt. In tussi convulsiva sputa mucosa sunt, ab initio alba viscida, dein crassa flavescentia aut puriformia.

In angina membranacea suffocationis metus eo momento nascitur, quo aegri tussire conantur. In tussi convulsiva aegrotantes suffocationem metuunt post longam, multis ce-

leribus aëris expulsionibus ad integram expirationem usque protractam tussim.

In tussi convulsiva aegri insultum saepe longiori tempore suppressere valent, quod in angina membranacea non facile; in vehementiori tussis convulsivae insultu saepe sanguis e naribus et ore profluit, quod in angina membranacea rarissime.

In tussi convulsiva post plures graviore insultus, in conjunctiva oculorum echymoses comparent, quod in angina membranacea non fit.

Angina membranacea saepe paucis horis, ut plurimum quarto vel quinto die finitur; tussis convulsiva duabus tribusve mensibus durat.

De natura et sede tussis convulsivae.

Circa haec puncta diversissimae, inde a prima illius observatione prolatae sunt sententiae, quin adhuc certi quid constet. Sic *cel. Rosenstein* materiam quamdam peregrinam assumit, quae partim per inspirationem ad pulmones, partim per salivam ad ventriculum defertur. *Linnéus* insecta supponit. *Sydenhamus* peculiaris effluvia sanguinis, quae ad pulmones deponuntur. *Waldschmidt*, *Stoll* et alii, sedem et causam tussis convulsivae in ventriculo quaerunt; sor-

desque ibidem contentae secundum *Stollium* pulmones consensuali modo irritare, et tussim convulsivam efficere. *Hufeland*, *Jahn*, *Paldamus* et alii tussim convulsivam pro morbo nervoso labent; sedemque praecipuam in nervis pulmonum, ventriculi et diaphragmatis quaerunt; irritationemque peculiarem horum nervorum praecipue vagi et intercostalis supponunt. *Wendt* peculiare Miasma per genium epidemicum constitutionis annuae productum hanc nervorum irritationem peculiarem efficere dicit.

Astruc, praecipue autem *Badham* et *Marcus* statum inflammatorium bronchiorum declarant; ultimusque bronchitidem epidemicam dicit, quam cum tussi convulsiva identicam declarat, ductus observationibus praecipue *What* et propriis anatomico-pathologicis. Veritas huius asserti pro parte et quidem in primo stadio et parte secundi concedi omnino debet; praecipue genio epidemico simul inflammationibus magis favente; ast pro explicatione symptomatum totius morbi nequaquam sufficit; quomodo enim inde convulsiones et cetera symptomata cum stadio altero coniuncta explicabit? observamus enim bronchitides ubi nulla horum symptomatum videmus; praeterea recte ubi tussis convulsiva stricte talis adest, febris deficit, symptomataque inflammationis nulla observantur.

Conatur quidem symptomata nervosa, per collectionem mucis tenacis in ramificationibus bronchorum, atque cellulis aëreis explicare; sed si hoc esset tunc versus finem secundi stadii et non initio vehementissimi deberent esse insultus, cum tunc multo plus mucis huius tenacis secernatur; sed quid? tamen et in aliis tussis speciebus, mucus in ramificationibus bronchorum accumulatur cellulasque aëreas obstruit, tussim provocat; ast de symptomatibus tussis convulsivae propriis nihil comparet.

Novissimis temporibus *cel. Desruelles* in opere superius citato, tussim convulsivam, pro bronchitide cum irritatione encephali complicatam habet; in quo inflammatio bronchiorum semper primariam irritatio encephali autem consecutivam adfectionem efficit; quamdiu bronchitis simplex adest, tussis nihil peculiaris ostendit; quamprimum autem diaphragma, musculi expirationi inservientes, musculi glottidis, laryngis, membrana posterior bronchiorum, cellulae aëreae pulmonum et velum pendulum palati adfici incipiunt, et per influxum irritationis encephali spasmo corripiuntur, tussis characterem quem hucusque habuit mutat, atque convulsiva evadit. Semper quotiescunque congestio sanguinis ad encephalum sequitur, tussis recurrit, atque per solitos insultus se mon

strat. Congestio haecce ad encephalum intermittens, insultum tussis praecedit; disparet simul cum illo, ut mox iterum compareat, insultusque novos producat. Hancce opinionem ulterius deinde dilucidat, atque sectionibus cadaverum hocce morbo peremitorum confirmare studet, in quibus praecipue mutationes morbosas cerebri et velamentorum eiusdem magni facit; sed recte cum cel. *von den Busch* (qui opus Gallicum in Germanicum redegit) quaeri potest, utrum mutationes hae morbosae, oppletio vasorum sanguiferorum encephali, exsudationes serosae, incrassationes membranarum et similia non potius sequelas morbi vel causam immediatam mortis quam naturam et sedem morbi constituent. Iudicium super sententiam hanc viris scientia et experientia clarioribus relinquo, bene memor tenuitati virium mearum ad hoc enim depromendum, non multa legisse; sed multos casus vidisse et exacte observasse opus est; ut conclusio rationalis fiat.

Quamdiu haecce opinionum lucta de natura et sede tussis convulsivae duraverit; optime credo cum praestantissimo meo moderatore cel. *Raimanno* faciemus, si ea quae de hocce morbo positive scimus, in diiudicanda eiusdem natura tractandoque eundem facem nobis praeferent. Est nempe morbus

sui generis, contagiosus, pertinax, determinati decursus, qui in primo stadio characterem irritationis specificae vel inflammationis, in altero adfectionis nervosae, et in tertio debilitatis et relaxationis in membranis mucosis et organis respiratoriis praesefert; qui partim contagio partim influxibus epidemicis provocatur; quod tinea capitis atque scabie adfecti infantes consvetim ab eo tuti sint; per variolas veras decursus illius interrumpatur, et quod raro secunda vice idem individuum adgrediatur a).

A e t i o l o g i a.

Ad omnem morbum producendum receptivitas pro illo, et causa excitans requiritur. Primum momentum dispositionem alterum causam sic dictam occasionalem constituit.

Quod momenta praedisponentia attinet, primo certe aetas infantilis memorari meretur; rarioribus enim epidemiis exceptis, soli infantes hoc morbo corripiebantur; probabiliter ideo, quoniam in infantibus non tantum maior irritabilitas in systemate bronchiorum, sed et maior proclivitas in inflammationes membranarum textuumque mucoso-

a) Handbuch d. sp. med. Patholog. u. Ther. von Joh. Nep. Edten v. Raimann. 2. B. S. 605.

rum adest. Ubi autem adulti hoc morbo corripiebantur, plerumque tales erant, qui multum cum infantibus tussi convulsiva affectis ad agendum, quod de indole illius contagiosa loqui videtur.

Alterum momentum disponens morbi nonnulli organorum respirationis, vel ea saltem notabilem in consensum trahentes constituunt; qui maiorem sensilitatem et irritabilitatem verbo receptivitatem maiorem pro causa nocente relinquunt et tales experientia confirmante praecipue Morbilli nec non Pneumonia sunt.

Tandem cum tussis convulsiva plerumque epidemice grassetur tanquam momentum praedisponens magni gradus, peculiaris constitutio aëris atmosphaerici considerari debet. Experientia teste autem tempestas multum variabilis, humido-frigida praecipue vere et autumno epidemiis huiuscemodi plurimum favet. A nonnullis auctoribus etiam sexus inter momenta disponentia refertur et sexus sequior ob maiorem sensibilitatem et irritabilitatem, in genere maiorem quoque receptivitatem habere dicitur prae virili pro tussi convulsiva, et per observationes nonnullarum epidemiarum hoc adsertum omnino comprobatur, licet in plurimis huius differentiae ratio nulla observata fuerit.

Causa occasionalis. Quod aliis morbis

epidemice grassantibus accidit; hoc idem tussi convulsivae contingit. Primo tempore scilicet causam plerumque abstrusam, vel et miraculosam quaesivere; sic in prima quae grassabatur epidemia secundum *Pasquier*: voluntate Divina aër corruptus super globum terraqueum venit. *Mercatus* constitutionem fere pestilentialem assumit epidemiae anno 1557 grassantis. *Salius* Diversus Epidemiae anno 1580 grassantis peculiarem corruptionem aëris atmosphaerici assumit; quae plane ipsa volucra coeli affecisse dicitur. Alii insecta, alii aliam assumere causam.

Cum plerisque tamen auctoribus momenta duo praecipue, tussim convulsivam excitantia statuimus refrigerium nempe et contagium.

Quod primum momentum attinet, unanimis omnium auctorum super hoc consensus; imo et sporadice saepe comperit tussis convulsiva in infantibus praecipue tenerioribus post subitanam temperaturae vicissitudinem. Multo luculentior autem illius est effectus ubi plura individua simul adficiantur morbumque epidemicum producit; solum tamen nequaquam sufficit refrigerium sed teste experientia peculiaris requiritur dispositio, quae praesertim per tempestatem humidam subcalidamque praegressam efficitur, quae deinde cum frigore superveniente

alternat. Sic epidemiae quae tempore *Fr. Hoffmanni*, *Sydenhami* et *Huxhami* grassabantur autumno frigido, humidoque stipabantur; quod et aliis recentioribus epidemiis confirmatur; et haec probabiliter est ratio, cur tussis convulsivae epidemiae in septentrionalibus Europae regionibus saepius observentur, quam in orientalibus; sub ipso plane epidemiae decursu manifestus frigoris influxus observatur: sic initiante hyeme vehementior evadit quam aestate; imo dum et quando de hyeme recurrit recidivasque facit; sic et non raro apud singulos tussi convulsiva aegrotantes vel convalescentes admissa refrigerio exacerbationem vel recidivam morbi videmus.

Alterum momentum contagium sistit, quod plurimorum medicorum experientia confirmatur; licet a nonnullis in dubium vocetur et per genium epidemicum propagari videatur; quod iam *Stoll*, *Danz*, et alii recentissimisque temporibus *cel. Desrnelles* in opere superius citato asserit. Qui contagium assumunt sunt *Rosenstein*, *Matthaei*, *Hufeland*, *Marcus*, *Haase*, *Raimann* et alii cui et ego tenui quidem mea experientia ductus accedere debeo vidi enim infantes, qui cum aliis eodem morbo laborantibus in consortium veniebant, eodem morbo mox corripiti, licet tunc tussis convulsiva epidemica non

fuerit; ubi alii ab iisdem defensi liberi manserunt; hinc certe eodem modo se habet tussis convulsiva, ut alii morbi contagiosi, quorum primam originem aequè non aliter, quam ex influxibus epidemicis peculiaribus explicare possumus, qui inde semel orti, et ad certum gradum evoluti per contagium aequè ulterius dein propagantur. Cuius tamen naturae hocce contagium sit, iisdem ac aliorum contagiorum natura obvelatur tenebris. Praecipuum; autem vehiculum aër expiratus esse videtur; et inde explicari potest cur et adulti qui multum cum infantibus hocce morbo adfectis ad agendum habent eodem saepissime corripiantur.

Exitus tussis convulsivae triplex esse potest: vel nempe sanitas redit, vel mors scenam claudit, vel varii oriuntur morbi secundarii.

Saepe longo tempore opus est usque dum perfecta redit sanitas; insultibus minus frequenter atque minore intensitate comparentibus, maneque et vesperi vel post pastum lautiozem solummodo invadentibus aegrum, tandem tussis convulsiva in simplicem evanescit tussim; quo sputa globosa, flavicantia, non suspecta, sic dicta cocta, cum facilitate, atque levamine aegri eiciuntur. Non raro in decursu iterum convulsiva evadit. Phoenomena critica praeter superius, allata

ab auctoribus varia adferuntur: sic levis epistaxis saepius recurrens boni ominis est, atque reconvalescentiam promovet; quod a multis auctoribus observatum. *Matthaei* vehementem tussim convulsivam othorrhoea superveniente sanata dicit. *Lorry* tussim convulsivam, per diarrhoeam, dysenteriam, per parotitidem, per suppurationem retro aures vel et per profluvium e genitalibus iudicari vidit. *Cel. Hufeland* mictum dolorificum quo urinae turbidae mittebantur boni ominis esse observavit. *Cel. Desruelles* tussim convulsivam per tineam capitis abortam sublatam vidit.

Mors rarius per insultum tussis convulsivae per se adfertur, licet *Lancisi* in opere de subitaneis mortibus lib. 1. Cap. 18 se tales casus vidisse asserat: saepe per vehementem sanguinis congestionem ad encephalum apoplexia mortem adducit; sic et rex in vase maiore pulmonum, Pneumonorrhagiam et mortem observante Asti attulit. Saepius tamen complicatio cum aliis morbis perniciose evadit, inter quas praecipue memorari meretur: Typhus, Morbilli, Pneumonia, qui saepe gangraena oborta mortem adducunt.

Inter morbos secundarios praecipue morbi organorum respirationis frequentes sunt; utpote Haemoptoe, et suppuratio pulmonum, nec non Phthisis trachealis et Asthma. Prae-

terea varii evolvuntur morbi Systematis lymphatici, dispositione praesertim praesente, atque morbo diu durante, nonnunquam sub illius decursu; inter quos praecipue Scrophulae, Atrophia, Rhachitis et Hydrocephalus acutus memorari debent. Sic et per vehementes quas tussis producit convulsiones morbi varii organici oriuntur; uti: Struma, luxationes vertebrarum et incurvationes spinæ dorsalis: herniae atque prolapsus nec non anevrysmata cordis vasorumque maiorum. Tandem paralyses organorum visus, auditus; Amnesia et fatuitas praecipue post epistaxes frequentes et largas.

P r o g n o s i s .

Per morbi naturam, gradum, stadium, complicationem et circumstantias morbo faventes vel adversas determinatur. Generatim tussis convulsiva, tanquam morbus pertinax, organa nobiliora tenens, de cuius natura nequaquam desiderata scimus, nec non ob morbos quos facile producit secundarios; cautum semper de futuro illius exitu praedicando requirunt medicum; hoc praecipue ab initio cuiusvis epidemiae necessarium credo, cum nonnunquam mortalitatem magnam, alias exiguam in annalibus medicorum adnotatas invenimus; certe pernicioso suo effectu

notatur Epidemia ab anno 1749 usque 1764 in Svecia regnans, ubi teste *Rosenstein* 43393 infantes illa moriere, et praecipue anno 1755 in 5832 sustulit. Peculiarem praeterea respectum constitutio epidemica annua et genius morborum stationarius meretur; scimus huncce iam inflammationibus magis favere, iam morbis adynamicis; per quem et necessario ipsa tussis convulsivae epidemia modificationem pati debet; nam ubi genius stationarius magis inflammationibus favet, facile pulmonum inflammatio oborta, prognosim infaustiore facit.

In specie determinatur Prognosis.

- 1) Per aetatem. Experientia confirmatum iuniores infantes gravius plecti, quam adultiores; praecipue perniciosa est tussis convulsiva lactantibus, atque tempore dentitionis; et teste *Culleno* plerique infantes qui tussi convulsiva mortui sunt tertium aetatis annum non attigerunt.
- 2) Per constitutionem aegri. Infantes fortes, bene pasti, plethorici plerumque primo stadio periculosius aegrotant, cum hic facile inflammationes viscerum nobilium oriri possint. Debiles autem et cachectici stadio secundo et tertio gravius adficiuntur. Praecipue infaustam reddit

prognosim thoracis deformitas, cum hacce praesente saepe haemoptoe et phthisis subsequitur.

- 3) Consideranda duratio morbi, maior vel minor frequentia insultuum tussis, nec non vehementia eorumdem.
- 4) Anni tempus quo tussis convulsiva comparet. Sic de hyeme plerumque gravior est, quam aestate, ubi tempestas calida multum ad sanationem illius contribuit.
- 5) Complicatio cum aliis morbis. Inter quas periculosissimae cum Morbillis, Variolis, Pneumonia, Nervosa versatili et dysenteria. Tandem symptomata morbum comitantia iam faustiore iam minus faustum sperare faciunt exitum. Sic febris moderata typi remittentis boni ominis habetur; dum aegri tempore a paroxysmis libero de nullis incomodis sive organorum respirationis sive adfectionis encephali conqueruntur; si expectoratio facilis est, atque sputa sic dictam coctam indolem praeseferunt; dum epistaxes moderatae cum imminutione praecipue symptomatum encephali comparent; dum vomitus cum levamine paroxysmos terminat; dum tineae capitis, vel profluvia superius nominata cum alleviatione totius morbi comparent; de fausta morbi solutione spes fieri potest. E con-

trario febris intensioris gradus, adfectio viarum respiratoriarum etiam extra tempus paroxysmorum manifesta; sputa tenuia, tenacia, non cocta, pneumonorrhagia, epistaxes effrenes, tussis sicca multum strepera, subitanea disparitio tussis, complicatis cum vermibus, status soporosus, et similia prognosim multum restringunt.

T h e r a p i a.

Mirandum certe dum remedia, quae tussi convulsivae a diversis auctoribus opponuntur examini subiicimus; omnes enim quodquod sunt medendi methodi laudantur. Sic methodus Antiphlogistica commendatur a *Sydenham*, *Huxham* et aliis multis, recentiorique tempore praecipue a *Marcus* et *Desruelles*. Methodus evacuans a *Huxham*, *Fr. Hoffmann* aliisque; et quidem vel per vomitum *Huxham*, *Astruc*, *Rhuling*, *Stoll* et alii; pauciores per alvum in quo praecipue Calomelis cantabant laudes *Huxham* et *Asti*. Alii praecipue nervina et in specie Asam foetidam praesertim *Millar*, Camphoram *Burton*, *Underwood*; Moschum de *Berger*, *Danz* et alii. Sunt qui narcotica et praecipue Opium commendant; Hyosciamum praecipue *Danz* et *Hufeland*. Laudantur praeterea Di-

gitalis purpurea, Stipitis dulcamarae, Extractum nucis vomicae, Belladonna, Cicutia, Nicotiana Tabacum, Cantharides, Cortex Peruvianus a multis; recentiori tempore hepar sulfuris praecipue per Hünze et Senff. Aliis remedia externa praeplacent; uti Vesicantia sinapismi, pediluvia, balnea; tandem *Autenrieth* unguentum suum specificum declarat. Critica collustratio plerorumque horum remediorum in tractatu de tussi convulsiva cel. *Desruelles* legi meretur.

Quanam autem methodus ex his sequenda? et cuinam palma prae reliquis tribuenda? Optimum credo nullae harum caeae inhaerendum esse, neque ullam pro specifica habere; sed absque praeoccupata opinione aegrum accedere, symptomata morbi colligere, indolem, gradum, stadium et reliqua ad exactam atque completam diagnosim facientia, exquirere; secundum haec indicationes statuere, atque therapiam rationi et experientiae convenientem instituere; hoc faciendo iam unam, iam aliam methodum convenientem, et hanc si rite secundum superius dicta selecta fuerit; specificam inveniemus.

Sic scimus variam esse indolem morbi pro diverso stadio et per hanc therapiam varie modificari. Nam stadium quod catarrholum dicimus cum statu iam magis, iam mi-

nus inflammatorio bronchiorum coniunctum videmus, et hoc respectu methodum quoque antiphlogisticam iam leniorem, iam generosiorē requirit. Dum adeoque in primo stadio irritationem catarrhalem bronchiorum febremque comitantem levem invenimus; methodus levior antiphlogistica per decoctum Altheae, florum Verbasci, Hordei, Orizae, Salep, Specierum pectoralium, necnon syrupum Altheae, mucilaginosam, emulsiones sive veras, sive spurias exequenda conveniet; vocatis simul in auxilium vaporibus emollientibus, per vias respiratorias attrahendis, nec non pediluviiis atque diaetae therapiae et morbo respondentibus, atque regimine moderate calido.

Quodsi tamen hocce stadio adfectionem inflammatoriam bronchiorum magis emergere observabimus, quod praecipue febris intensiore, tussi sicca et acuta frequentiori, sensu titillationis vel punctorio sub sterno praesentibus cognoscemus, therapiam quoque generosiorē instituemus antiphlogisticam; hirudines nempe plures circa manubrium sterni et tracheam ordinando, decoctis mucilaginosiis nitrum addendo, et diaetam in quantum apud infantes possibile restringendo, solamque vegetabilem, nec non regimen subcalidum in lecto iniungendo.

Quodsi tandem vel genio epidemico mor-

borum, vel constitutione aegri vel aliis causis faventibus primo morbi stadio, febris inflammatoria intensior, pulsu pleno, duro, forti, siccitate et calore cutis adaucto, siti magna, urinis parcis flammeis, opstipatione alvi cognoscenda, si praeterea congestiones sanguinis ad encephalum adsint, tussis frequens, sicca, sonora, absque sputis, vel his sanguine mixtis, sensu ponderis sub sterno et similia altior gradus inflammationis denotetur; certe methodum antiphlogisticam omni sua extensione hic indicatam esse, nemo in dubium vocabit; et quidem in infantibus iunioribus plerorumque auctorum opinione hirudines plures; in adultioribus venaesectioes gradui, et individualitati aegri accommodatis adhibendae; decocta mucilaginosae cum nitro; cataplasmata emollientia, et regimen atque diaeta strictissima quantum fieri potest ordinanda.

Scimus non dari saltum in natura; idem in tussi convulsiva; nequaquam enim stadium primum in alterum de repente transit, sed insensibili fere modo unum in aliud terminatur; hinc initio alterius stadii licet tussis characteristicis suis symptomatibus convulsivis iam adsit, nequaquam tamen hic methodum nervinam sive narcoticis sive stimulantibus exequendam; indicatam quis dicet. Sed in therapia antiphlogistica iam leniore,

iam fortiori prouti morbus postulaverit continuandum; imo dum et quando et hocce stadio, si symptomata inflammatoria, sive necessario antiphlogistico apparatu, sub primo stadio neglecto, sive refrigerio, vel alia causa inflammatio decrescens exacerbata, methodus antiphlogistica generosior ut superius expositum indicata erit.

Ilacce therapia continuata symptomata inflammatoria sucepive decrescent, nervosaeque axaltatae sensibilitatis, et irritabilitatis, nec non profusioris mucii secretionis comparebunt; hinc mutata indole morbi, aequae indicationes pro therapia instituenda, aliae erunt; et hic modo locus laudatorum nervinorum, inter quae alia exaltatam sensibilitatem compescunt narcotica dicta; alia eandem labentem erigunt nervina excitantia, s. stimulantia vocata.

Ad primi ordinis praecipue numerantur: Opium iam pro se, iam cum Ipecacuanha, cum Antimonialibus, cum Kalinis ad normam *Stütz*; feбри tamen vel complicatione gastrica, aut congestionibus ad encephalum et pulmones praesentibus non indicatum esse ex generalibus Pharmacologiae praecipis, constat; neque alvo sub eius adplicatione obliviscendum; atque aetas aegri respicienda; hinc doses caute dispensandae. Hyosciamus praecipuae eo se commendat quod al-

vum non opstipet. — Belladonna, Extractumque Cicutae nequaquam laudes, contra tussim convulsivam, quae a protectoribus illorum ipsis tribuebantur; aliis observatoribus confirmarunt. Acidum hydrocyanicum et aqua Laurocerasi, aequae contra tussim convulsivam laudatae, sed genio magis quam genuinis effectibus laudes debebant, hinc et mox illas perdidere; similiter et flores Zinci laudantur, sed vix ab auctoribus confirmatur effectus.

Inter stimulantia praecipue laudantur; Castoreum, Moschus quem cel. *Haase* praecipue in tussi convulsiva cum morbillis vel typho complicatis laudat. Asa foetida maxime forma enematum. Hocce tempore stadii secundi, praesertim uberiore mucii in bronchis secretionem praesente, cuius expectoratio difficilis est, emetica indicantur; intermedio autem tempore remedia sic dicta mucum incidentia cum nervinis alternatim exhibita laudantur; praesertim si symptomata nervosa cum statu prius memorato pari passu incedant; huc praecipue referuntur: Sal ammoniacus, Oxymel Squillae, Sulfur auratum antimonii, Tartarus emeticus refracta dosi; magna laxitate membranarum mucosarum praesente Gummi Ammoniacum. Hoc quoque tempore Hepar sulfuris ab *Hinze* et *Senff.* qua specificum commendatum, mane

et vesperi a quinque usque decem granis pro dosi cum melle summendum laudatur.

Varia quoque laudantur remedia externa modo antagonistico agentia ut: Vesicantia ad scrobiculum cordis, vel inter scapulas, sinapismi ad suras, pediluvia cum farina seminum sinapis vel cineribus; infrictiones succi Allii sativi et Cepae.

Praecipue autem, et tanquam specificum unguentum sic dictum *Autenriethi* ex tartari-emetici drachme una semis et uncia una axungiae porci paratum omni die ter ad magnitudinem nucis avellanae regioni epigastri-cae inungendum, usque dum exanthema pustulosum artificiale comparuerit laudatur; dissentiunt tamen reliqui observatores de virtute specifica huius remedii. Ego duos vidi infantes hoc unguento tractatos, quibus insignibus licet cruciatibus productis nil profuit.

Quodsi morbi intensitas non adeo magna, atque praesertim si ab initio statim congrue tractatus fuit, reconvalescentia vix remediis pharmaceuticis, et peculiari therapia eget; sed debito sub regimine et diaeta, ipsa naturae vis medicatrix sanitatem plenam restituit. Sed morbo vel neglecto, vel epidemia infausta regnante, vel individuo malae notae, et aliis infaustis circumstantiis, ipsa quoque reconvalescentia medici ope indiget.

Sic saepe largior mucii secretio in bronchiis, cum statu torpido totius organismi vel organorum respirationis incedit; et hic superius laudata expectorantia irritantia uti infusum radicis Senegae, Squillae, Ipecacuanha, Antimonialia dosi iam refracta, iam iterato plena laudantur; hic quoque locus Cantharidum a *Suttcliff*, *Lettsom* et aliis laudatarum, forma Tincturae praecipuo cum Opio, quibus et Camphora atque Cortex a nonnullis additur, usque dum levis compa-ruerit stranguria. Viribus autem aegri multum consumptis, statuque pituitoso bronchiorum praecipue per debilitatem sustentato, roborantia atque nutrientia indicantur; hic praecipue Corticis, atque Lichenis islandici laudes, a nonnullis tanquam specifica per totum decursum morbi commendata. Therapia contra morbos qui cum tussi convulsiva complicantur, pro varia eorum indole ipsam quoque therapiam tussi convulsivae opponendam vario modo mutat.

Magni praeterea momenti per totum decursum tussis convulsivae regimen atque diaeta sunt. Quod primum attinet curandum ut temperatura semper aequabilis moderate calida circa aegrum servetur, praesertim autem refrigerium omnium maxime vitandum; hinc tempestate rudiore infantes in cubiculo retinendi, et feбри praesente bene

est si lectum custodiant, vel adminimum vespertinam exacerbationem in eodem expectent. Quod diaetam attinet haec toti therapiae respondens seligenda erit; hinc primo stadio, praesertim morbo magis phlogistico, ut plurimam e Regno Vegetabili et quidem minus metrientibus seligenda erit, uti grana Sago, Salep, oriza, hordeum, lacticinia leniora, et similia; potus mucilaginosi diligenter summendi, et praesertim omnis oppletio ventriculi caute vitanda, nam plerumque insultum tussis provocat, quo contenta ventriculi vomitu reiiciuntur; idem et magna parte Secundi stadii observandum; morbo autem decrescente successive ad diaetam lautiozem et animalez transeundum.

Nil nisi paucis therapiaz cel. *Desruelles* exponere volo. Memoratus auctor ideae suae de natura et sede tussis convulsivae convenienter, therapiaz eius in tres partes dividit. Quarum prima prophylaxis, altera insultus tussis convulsivae curat; et tertia cum complicationibus ad agendum habet.

Cura prophylactica iterum in tres ramos abit; quorum primus talia proponit remedia quibus bronchitis praecaveri, alter bronchitidem et varias eius modificationes tractat, et tertius tales regulas proponit,

quibus praecavetur ne bronchitidi irritatio encephali superveniat.

Quod primam partem nempe praeservationem a bronchitide attinet, praecipue refrigerium omnimode evitandum, atque intensiorem pulmonum et tracheae, sive per cantum, declamationem et similia adstrictionem fugiendam svadet.

Quod bronchitidis tractationem attinet, haec antiphlogistica est, et gradui morbi adcomodata, iam generosior, iam levior, eodem modo ut superius in therapia stadii catarrhosi expositum; post sanguinis depletiones autem, praesertim pediluvia calida commendat, brevi tempore, sed saepius de die adhibenda; quibus acetum aut Kali bene addi potest, dum irritatio bronchiorum iam decrescit.

Quodsi aegri vires multum prostratas quaerantur, si facies multum rubeat vel palleat, oculi splendent, conjunctiva flavicans vel sanguine suffusa conspiciatur, dum de coxhalea vel gravedine capitis conquerruntur, dum soporosi sunt; tunc aliquod hirudines retro aures, vel ad angulum maxillae inferioris, vel regioni temporum aut frontali apponendas svadet; reliquam autem therapiam antiphlogisticam continuat, diaeta et regimine congrue ordinatis.

Quodsi his non obstantibus tussis con-

vulsivae insultus compareant, eandem therapiam antiphlogisticam emollientem gradui morbi accomodatam continuat, hirudinesque si symptomata encephali emineant, iterato adhibet; interne decoctis mucilaginosi, emulsis et similibus continuatis, nec non pediluviiis saepius adhibendis; alvum per enemata liberam servat, vel eccoprotica; diaetamque ad mucilaginosam et praecipue lacteam restringit. Quodsi hoc tempore copiosa mucii secretio suffocationem minetur; emeticum Ipecacuanha, vel melius digito faucibus imisso; ordinat. Tandem morbo longiore tempore pertinaciter resistente; mutationem loci commendat, quo mutato saepe sponte emanet; quod propria et aliorum experientia confirmat. Complicationes pro varia earum indole varie tractat. De remediis superius sub secundo stadio adhibitis nullam mentionem facit, eaque superflua ipsi videntur. Haec circiter brevem conspectum novae illius therapiae sistunt; quae in opere illius iam saepius citato fusius legi potest; cuius autem veritas ulterioribus primum observationibus comprobanda.

Theses defendendae.

I.

Datur Scarlatina absque exanthemate.

II.

Emeticum in morbo gastrico neglectum vix amplius suppleri potest.

III.

Tussis convulsiva propagatur per contagium.

IV.

Remedia specifica contra eandem nulla.

V.

Verus hermaphroditismus non datur.

VI.

Datur conceptio sub primo coitu.

VII.

Catamenia nequaquam ex uteri plethora explicantur.

VIII.

Evolutio sufflaminata praecipua monstrorum causa.

IX.

Mutatio soli saepe unicum remedium in morbis chronicis.

X.

Lactatio neglecta nequaquam effectus illos malos semper adducit, qui illi adscribuntur.

XI.

Omnis cura symptomata.

XII.

Morbis nervosis, nervinis saepe male consulitur.

XIII.

Extirpatio bulbi in fungo medullari superflua.

XIV.

Non sanatur cancer cultro.

XV.

Praestat notorum medicamentorum vires uberior explorare, quam continuo faraginem illorum novis augere.

XVI.

Neque sanitati conveniens secundum eandem normam regularem semper vivere.

XVII.

Rheumatismus chronicus ab arthritide chronica vix distinguendus.

XVIII.

Cataractae operatio saepe amaurosim sanat.

